



ACTA ET DECRETA

CONCILII


ANTEQUERENSIS

BX837

.M4

I3

004718



EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis



1080015402

+

ACTA ET DECRETA
CONCILII ANTEQUERENSIS I



Iglesia Católica


ACTA ET DECRETA

CONCILII ANTEQUERENSIS I

A DIE VIII DECEMBRIS MDCCCXCII

AD DIEM XII MARTII MDCCCXCIII

OAXACAE CELEBRATI



UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Valverde y Tellez

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA VATICANA

MDCCCXCIV

1894



BX 837

.M 4

I 3



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

DECRETUM PROMULGATIONIS

Concilii Provincialis Antequerensis Primi

NOS

D. D. EULOGIUS GREGORIUS GILLOW

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS ANTEQUERENSIS

REVERENDISSIMIS FRATRIBUS EPISCOPIS COMPROVINCIALIBUS

VENERABILIBUS CAPITULIS METROPOLITANO

ET CATHEDRALIBUS

ATQUE TOTIUS PROVINCIAE CLERO ET CHRISTIFIDELIBUS

SALUTEM IN DOMINO

Decreta Concilii Provincialis Antequerensis primi, quae ad Dei Omnipotentis gloriam, sub praesidio B. M. V. de Guadalupe, Immaculatae Patronae Mexicanae gentis nostrae, ad commune spirituali bonum omnium vestrum, a Nobis cum venerabilibus Episcopis Comprovincialibus statuta, exposita et lata fuerunt, auspiciato examinata et opportunis nonnullis emendationis donata, Eñi ac Rñi Patres Cardinales S. C. Concilii interpretes, ut ab omnibus ad quos spectat tuto et inviolate servarentur, rite recognoverunt. Quapropter auctoritate Nostra Metropolitana per sacros canones Nobis collata, promulgamus per hasce praesentes litteras, pro

004218

rite promulgata haberi volumus Acta et Decreta Concilii provincialis Antequerensis primi a Sancta Sede recognita. Volumus ut observantia et exsecutio legum huius Concilii Provincialis in unaquaque Dioecesi locum habeat post bimestre a facta publicatione in Synodo, vel extra si iuxta de causa Synodus Dioecesana celebrari non possit. Quo vero omnia fideliter et fructuose fiant, humillime imploramus divinae gratiae auxilium et B. M. V. de Guadalupe Patronae Nostrae tutamen ut hilari animo et prompta voluntate per viam mandatorum Dei et Ecclesiae currentes ad aeternam mereamur gloriam pervenire.

Datum Oaxacae in festo B. M. Virgines de Guadalupe, XII Decembris anno salutis MDCCCXCIV.

† EULOGIUS

Archiepiscopus Antequerensis.

ALOISIUS G. SANTAELLA
Secretarius.

Rñno. Archiepiscopo de Antequera

Eximium pastoralis sollicitudinis testimonium atque filialis erga Apostolicam Sedem obsequii documentum praestantissimum exhibuit Provinciale concilium quod prima vice in longinqua ista regione Amplitudo Tua cum tuis Suffraganeis superiori anno celebravit et cuius acta Sacrae huius Congregationis examini remisit. Nil autem Eñnis Patribus Tridentino iuri interpretando ac vindicando Praepositis iucundius contingere poterat quam infausto hoc aevo te Tuosque Coepiscopos simul videre coniunctos, ut collatis insimul consiliis in tanto errorum numero atque depravorum morum turpitudine catholicae fidei iura, rationesque ecclesiasticae disciplinae tueremini atque studium vestrum opportuna malis remedia afferendo adiungeretis.

Res autem pro votis cessisse latae a vobis leges portendunt. In iis enim quae ad propaganda catholicae fidei beneficia, ad refellendam erronearum doctrinarum nefanditatem ac fideles e perversa impiorum sedutione defendendos constituistis zelus pariter ac sapientia vestra praeclaro lumine effulsit.

His autem accessere saluberrimae leges quibus ecclesiae iuribus, rectae Sacramentorum administrationi,

divini cultus splendori christianae vitae puritati paterna sedulitate consulistis.

Nec minori laude digna est cura vestra in eo intenta ut clerus iis moribus instruatur, iis sit disciplinis eruditus quae sublimi Sacerdotii dignitati respondeant atque ecclesiasticum ministerium animarum profectui, cui unice est comparatum, reiecta temporalium rerum cura, alacrius intendat; populus demum regimini vestro coelesti dispositione concreditus opportunis pietatis incitamentis e vitiorum coeno purgatus in catholicae fidei sanctitate roboretur.

Pro tot igitur praeclare gestis iidem Eñi PP., SSmo D. N. consentiente, cui plena actorum relatio facta est, Tibi tuisque Suffraganeis honorificum meritum laudum testimonium reddidere.

Quae vero perpauca Sacer Ordo censuit in eiusdem Synodi decretis emendanda esse vel clarius exprimenda, expressa erunt in pagella his meis litteris inclusa.

His Sacri Ordinis nomine laetanti tibi animo significatis, nil mihi superest nisi ut impensos animi mei sensus testatos faciam eidem Amplitudini Tuae cui laeta omnia ac fausta a Domino precor.

A. CARD. DI PIETRO

Praefectus.

L. SALVATI, *Secretarius.*

EDICTUM CONVOCATIONIS

SYNODI PROVINCIALIS

Nos Eulogius Gregorius Gillow miseratione divina et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopus Antequerensis, Praesul Domesticus S. S. etc.

Illis et Rnis Fratribus Episcopis Provinciae nostrae, Venerabilibus Capitulis Metropolitanae et caeterarum Cathedralium, aliisque personis ecclesiasticis quae de iure vel consuetudine Concilio Provinciali interesse debent, salutem in Domino.

Sede Episcopali de Antequera benignitate et munificentia SSmi PP. nostri Leonis XIII ex Bulla « *Illud in primis* » data die vigesima tertia Iunii Ann. Domini 1891 erecta, et erecta in Metropolitanae honorem et dignitatem, habente ut suffraganeas antiquas et nobilissimas Dioeceses de Yucatan et Chiapas et recenter erectas Tabasco et Tehuantepec, iustum et peropportunum duximus ut eae omnes seiunctae a iurisdictione perillustris Mexici Metropolitanae Sedis, congregentur in Domino, ut sibi consulant et leges ad concordiam et regimen profuturas constituent.

Ab Ecclesiae primordio ipsi Apostoli gravissimam, quae de observatione rituum mosaicorum exorta erat,

quaestionem conventu indicto pertractandam esse censuerunt, et movente eos Spiritu Sancto, in exemplum eorum quos successores habituri essent, primum nobilissimumque Concilium celebrarunt. Quamobrem Ecclesia quae aedificata est super fundamentum Apostolorum, Concilia habere et decernere consuevit.

Concilium Tridentinum, quod antemurale Domui Israel virtutum Dominus misericorditer erexit inter tot salutaria decreta sanxit, ut Provincialia Concilia sicubi omissa sint, renoventur et deinde quolibet saltem triennio celebrentur, in eadem Tridentina Synodo, Spiritu Sancto afflante, Patres statuerunt ut quidquid de moribus moderandis, controversiis componendis, virtutibus fovendis, ecclesiastica disciplina tutanda et cunctis demum quae ad gregis Domini salutem attinent, negotiis in honorem Dei ordinandis, eiusdem Provinciae Episcopi, conventu facto deliberarent et constituerent.

Quapropter verbo habito cum venerabilibus et dilectissimis Fratribus comprovincialibus Episcopis, ipsisque consentientibus et plaudentibus, implorato prius auxilio Sanctissimi Salvatoris, qui se nobiscum usque ad consummationem saeculi futurum esse promisit, et Beatissimae Virginis singulari praesidio, suffulti, omniumque Sanctorum tutamine, auctoritate Nostra metropolitana utentes, ad maiorem Dei Omnipotentis gloriam, necnon in Ecclesiarum universae Provinciae nostrae utilitatem, Synodum Provinciale convocandam statuimus, quam in Ecclesia Nostra metropolitana Antequerensi labente anno celebrandam harum tenore litterarum, indicimus, illamque in diem octavam mensis Decembris qua, de Immaculato Virginis Conceptu universa gaudet Ecclesia, solemniter aperiendam decernimus et convocamus.

Reverendissimos itaque Provinciae Coepiscopos Yucathanensem, Chiapensem, Tabascensem et Tehuantepecensem, ut Concilio a Nobis indicto praefixo tempore adsint, monemus et in charitate Christi postulamus.

Pro eodem insuper designato tempore in Synodum ipsam vocamus Venerabilia Capitula Ecclesiae metropolitanae et aliarum Cathedralium quae per duos procuratores, suffragiis absolute maioribus eligendos, interesse tenentur.

Advocamus etiam Praesides Seminariorum et caeteras omnes personas ecclesiasticas quae, de iure vel consuetudine, Concilio Provinciali interesse debent, et quibus omnibus, in quantum opus fuerit, praecipimus et mandamus ut ad Concilium praedefinito tempore accedant.

A qua re ii dumtaxat excusati habebuntur, vel per procuratorem comparere permittentur, quos ex legitima causa per Nos cognoscenda et approbanda, impeditos iudicabimus.

Hortamur igitur omnes Christifideles Ditionis nostrae, ut ex hoc momento usque ad sacrae Synodi conclusionem gratiam Omnipotentis Dei assiduis precibus impetrare non desinant ad fructum tanti Operis consequendum.

Datum Tehuacan, in Aedibus residentiae Nostrae, et divulgatum solemniter Festo Sacratissimi Cordis Iesu die vigesima quinta Iunii anno salutis millesimo octingentesimo nonagesimo secundo.

✠ EULOGIUS

Archiepiscopus Antequerensis et Metropolita.